



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Somno irruente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

viq; per merita sauciati corporis sui, dolorosa anima sue, & gaudiosi spiritus sui se in corpore, anima & spiritu mundum & aptum facere, & esurientem animam illius reficere, & in se totaliter transformare dignetur.

Quando vis ire dormitum sic precabere.

Domine Iesu Christe, in vnione amoris quo istud nobis commodum creasti, & ipse in terris propter nos vti voluisti, iam illud suscipio, tibi in aeternam laudem, & corpori meo ad necessitatem.

Quando intras lectum dicito.

Pax Domini nostri Iesu Christi, integritas beatissimæ semper Virginis Mariæ, signum sanctæ Crucis, virtus dominicæ passionis, custodia sanctorum Angelorum, & intercessio omnium Sanctorum, repellant à me omnes inimicos meos, custodiantq; me ab omni peccato, ab omniq; periculo corporis & animæ, Amen.

Antequam obdormias, Oratio.

Domine Iesu Christe, tua vera diuinitas mihi benedicat, tua sincera humanitas me custodiat, tua benignissima pietas me foueat, & amor tuus suavissimus in æternum me conseruet.

In te dulcissime Iesu, in vulnere lateris tui, in corde tuo dulcissimo, & sub pallio benedictæ matris tuæ, ad pedes Domini meæ dormiam & requiescam, Amen.

Somno iam irruente, Precatio.

Dulcissime Iesu, fac me requiescere super pectus tuum, da mihi trahere anhelitum sacrum de sanctissimo corde tuo, vt spiritus tuus suavissimus insuat in animam meam, atque rursus totum spiritum meum post se trahat, in se absorbeat, atque inseparabiliter sibi vniat, Amen.

Post somnum, Precatio.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in nomine Domini mei Iesu Christi surgo, qui me redemit suo sanguine pretioso. Ipse me dignetur custodire ab omni malo, & implere omni bono, in anima & corpore meo, Amen.

Quando mane surgis sic orabis.

In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. In nomine Domini mei Iesu Christi crucifixi, cuius morte sum redemptus, cuius pretio sum emptus, de lectulo nunc surgo. Ipsum adoro, laudo, benedico & glorifico, per quem sum, viuo & subsisto. Ipse me liberet & custodiat ab omni peccato. Ipse me regat, confirmet & possideat in omni bono, & post hanc miseriam vitam, perducatur ad æternam requiem, Amen.

Mane quando surrexisti, adora Deum & sanctissimam benedic Trinitatem, dicens.

Adoro, laudo, & benedico te ó Trinitas super benedicta, Deus meus, gubernator, protector & saluator meus, vita, dulcedo & corona mea, in quo omnia, ex quo omnia, & per que omnia. En offero me indignissimam creaturam tibi in gloriam & beneplacitum tuum. Eripe me de inimicis meis, id est ab omnibus que tibi displicent. Domine ad te confugi, eligens te pro omnibus & super omnia: doce me facere voluntatem tuam in agendo & patiendo, in volendo & respiciendo, quia Deus meus es tu, O Deus meus, & ego creatura tua, ad nihil tibi utilis, tam-

men,